



67

CARMINA GRATULATORIA

In

Honorem nuptiarum

Clarissimi & Consultissimi

Viri-Javenis,

DN. JOANNIS CRAMERI

Juris Utriusq; Doctoris, &

Poetæ Laureati,

S P O N S I ;

N E C N O N

Lectissimæ & Pudicissimæ

Virginis,

A N N Æ ,

Honestissimi Viri,

Dn. CONRADI GERHOLDI,

civis primarii filie,

S P O N S æ ,

die X V . Septemb. Servestæ celebrata-

rum, scripta ab affinibus

& amicis.

S E R V E S T A E

Excudebat Zacharias Dörffer.

M. D. C. X V I I .

Ad Clarissimum Virum,

DN. JOHANNEM CRAMERUM,

J. u. Doctorem, Poetam Coronatum, Spon-
sum, amicum colendum.

Quòd tibi consortē assicias, Sponse optime,
A quo inclarescis, jure id utrōq; facis. (lecti,
Et faculas castas, non illicitos & amores,
Quæ tibi serta dedit, casta poesis amat.
Gratulor ergò tibi, exhausto quòd digna labore,
Nuptam te dignam, præmia, Sponse, capis.
Authorēmq; tori multa prece pronus adoro,
Mittat ut in vestros prospera cuncta toros.

M. Joh: Theopoldus, Superintendens
Servestanus.

A L I U D.

Dum sacra festa tori celebras Clarissime Doctor,
Accinerem tædis carmina multa tuis.
Namq; hoc dexteritas Pietas tua, pignus amoris,
Quo schola nos junxit docta Nicrina, jubent.
Sed quoniam non sum Vates, nec nostra Thalia
Scribere multa potest carmina, vota dabo.
Semper sis salvus salvâ cum conjugé, vobis
Det bona multa, poli qui regit astra, Deus.

A 2

Nulla

Nulla domos vestras turbet discordia, semper
Aurea Pax vobis adsit, & absit Eris.
Vester sit lectus fœcundus; vestraq; nullis
Sit, prohibente DEO, subdita vita malis.
Vivite Nestoreos annos, post funera vobis
Æternam vitam det Pater ipse D E U S.

Collegæ suo olim in illustri domo Casimiriana
apud Haidelbergenses honorau-
dissimo;
F. Dantisc

Georgius Pauli Dantiscanus, S.S.
Theologiae Doctor, & in illustri Gymnasio
Dantiscano Professor
publicus.

Aliud codem Autore.

Sponsus ad Sponsam suam
suavissimam.

A NNA veni, thalami consors optata, puellis
Quæ mihi præ reliquis optima sola places.
Sola veni, ingenii superas quæ dotibus omnes,
SAT DOTATA VENIS, DUM SAT
HONESTA VENIS.

Sola veni, gemmis longè generosior ipsis,
Sat generosa venis, dum pudibunda venis.

Sola

Sola veni, pulcris cœlorum pulcrior astris,
Sat mihi pulcra venis, dum pia, casta venis.
Sola veni, mihi sola places, mihi sola placebis,
Sola mihi mulces pectora, sola veni.
Una dies ambos thalami nos fœderē jungat,
Una dies ambos auferat, una Fides.

A L I U D.

LAUDO tuam mentem sinceram, laudo puellam
Quod formâ egregiam, docte CRAMERE, capis.
Nec gazas, nec opes, sed HONESTUM respicis almâ
Cum PIETATE animû, cūq; PUDORE Decus.
Et parui pendis magnâ cum dote puellas,
Quæ famâ, formâ, quæ Pietate carent.
O te felicem! te terq; quaterq; beatum!
Cui thalami sociam fata dedere parem!
Quam Virtus ornat, quam summa Modestia ditat,
Quam Probitas, Pietas, Simplicitasq; beant.
Quam morum Gravitas, & honestæ Gloria vitæ,
Quam bona commendat Gratia, Famia, Pudor.
Quæ reliquias superat formâ, & Virtute puellas,
Haud secus, ut Cœli Lucifer ipse choros.
Pulcra habitu, pulcra ore magis, pulcerrima mente,
Pulcra Pudore simul, pulcra Decore simul.
Pulcrior est Zerbestanis, pulcrisq; puellis
Pulcrior Aonidis, pulcrior Ascanidis.

Hanc tua Dexteritas, Gravitas, Facundia, Candor,
Hanc meruit Probitas cum Pietate Fides.

Hanc labor exhaustus studiis, hanc mitra requirit,
Quam Themis, & Sophiæ Præses Apollo dedit.

Hanc quoq; terrarum, & populi lustratio poscit,
Hanc reditus patriæ non sine laude petit.

Ipse etenim varias terras, urbesq; superbas
Perbene lustrasti concomitante D E O.

ANGLIA te vidit, te HISPANIA, GALLIA vidit;
SICILIA & PORTUGALLIA te docuit.

ITALIÆ fines adiisti sidere fausto,
BELGARUM doctus mystica multa scholis,

Hac ergo exulta, hac gaudet, hac tibi virgine pulcrâ
Plaude, Pudicitiæ quam decoravit Honos.

Hancce cole, hancce cale, cōplete, dilige castam
Hanc Costam, huic labris oscula fige tuis.

Vive, valeq; diu castâ cum conjugé, castâ
Cum Costâ casti corporis usq; tui.

Vivite concordes, animos & corpora Amoris,
Lætitia, ac Pacis nectite vestra nodis.

Vos neq; vis, neq; lis vexet, discordia turbet
Nulla domûs vestræ limina, nulla torum,

Vincite Nestoreos annos, det pignora lectus
Quot Mater gestit, quot Pater ipse cupit,

Gignite DOCTORES, DOCTORIS semine natos,
Qui referant animo, moribus, arte Patrem.

Sic

Sic Honor, atq; Decus, sic Nomen, Stemma CRAMERI,

Sic GERRHOLDORUM fama perennis erit.

*Perpetua fraternitatis & amicitiae
ergo in Gallia Parisii contracta.
Spiræ f.*

*Paulus Friccius VVormatiensis
Cam. Imp. Advocatus.*

A L I U D.

Doctor amice, prius fidei quam dicar amicæ
Oblitus recinam ad castas tibi paucula tædas.
Siccine firmata est animi sententia tandem,
Præclare Interpres Legum, jurisq; Sacerdos
CRAMERE, ad sacras ANNA cum virgine sedes
Fœdera conjugii dudum sperata pacisci,
Et jam promissos nuper celebrare hymenæos?
Factum laudo tuum. Domini benedictio sensum
Indidit hunc, castum nec non sub corde calorem:
Nam Deus est hujus sancti primarius autor
Ordinis, autorem spérnit, qui fœdera leæti.
Haetenus aut ætas, aut tempora debita juri
Suspendere torum: at postquam sudore parâsti
DOCTORIS titulum, magnâ cum laude reversum
Ad patrios Lares nunc nunc te vivere solum
Non decet; hoc mecum dissuadet qui tuus alter.

Plura

Plura quidem non est mihi commemorare ne cesse,
Plurima cùm possim: lætus tu perfice cœpta.
O te felicem, mercatoremq; beatum!
Gratia cœlestis GRATAM cùi contulit ANNAM
Quæ pia, casta, decora, modesta, pudica, venusta,
Et quæ TOTAFAVENS, id quod cognōine signat.
Huic CRAMERE tuas merces cōmitte lucrandas,
Commissas, mihi crede, tibi cum fœnore reddet
Multo, ubi Luna suum novies percurrerit orbem;
Exerce vegetam, nullo prohibente, juventam
Tempora dans pulcræ, juri decerpta puellæ:
Invigilare libris, juvet invigilare puellæ;
Hinc plores, illinc & opes & gloria surget.
Qualis ruricolis post ambarvalia messis,
Cùm vacua optatis frumentis horrea complet.
Talis sit tua Sponsa tibi, te prodiga fœtu
Una beet, sacriq; ferat tibi pignora lecti;
Sed formosa, patris matrisq; imitantia vultus,
Æmulaq; amborum vitæ, morumq; decentum.
Ac finem ut faciam; concordi pectore juncti
Vivite Nestoreos ambo feliciter annos.

Voti hæc summa mei, Votum Tu perfice factis
Qui regis humanas divino Flamine mentes
JOVA, soli cœliq; Sator, Rex, Fautor & Altor.

Fridericus Hamelius
Junior. S.

ALIUD.

ALIUD.

Quæ sacra, amabo loci hic, in quo novus hospes oberro,
Suspensis operis, magnâ currente catervâ,
Orgia concelebrant pueri, juvenesq; senesq;
Nec non nugarum plenæ socrusq; nurusq;?

Sed cur subdubitem? Veneris sunt Orgia. En ipse
Procedunt Sponsi gemmis auroq; micanti
Vinctus uterq; suô capit is de crine coronâ,
(Tædarum insigni) ac longô comitante virûmq;,
Ordine deducti matrum ad solennia Templi
Vota precesq; parant ornare hymeneia festa,
Festa ornata Deô fabricati ab origine Mundi.

Quis novus hic Nymphus? quem vos censem? Amici
Spectantes pompam, dignus qui virgine Sponsa
Sponsus habebatur, Diva Junone favente?

Si Sponsum novisse lubet (vestra licet Urbis
Sit notus eivis) faciles advertite mentes.

Nicriades Musæ, quas Juppiter æquus amavit,
Quæq; Palatini in nemorosis vallibus agri
Altrici vivunt celsi sub Principis aurâ;
Inclyta ubi his ipsis domus EDELBERGA Deabus
Cultus, & umbriferis illis mons nobilis oris,
Hospitium ambobus fuit atq; illustre Lyceum,
Cui dignas merito grates solvamus uterq;,
Hunc licet ille locus potiori parte bearit
Artis & ingenii, digno ut modulamine laudes
Ipsius, & nomen grati hac cantemus in Urbe.

Phœbus enim hunc alis multis præ millibus unum
Cultorum primis impensè adamavit ab annis;
Certatimq; piæ vivâ dulcedine, & ipsâ
Ambrosiâ Charites potârunt, Nectare Muse.

Hunc pietatis amor, probitas virtutis, & artes
Ingenii, doctrina Sophow, Themidosq; polita
Cura virum in laudis decus excoluere perenne.

Sic res egregiè cum nomine convenit ipsa.
Scilicet ingenuas emturus Palladis artes

B

Infixit

*Inficit mentem solidis noctesq; diesq;
Mercibus, ut Legum gnarus doctusq; Minerva
Hic vates fieret (rumpantur ut ilia Momis)
Mercator Themidōs decus, & selecta corona,
Raraq; gemma virum, splendens, ceu lumine Titanq;
Lucifer aurorā, pulsis Matutaq; stellis.*

*Nosse cupis Nymphum qui famam Zoile rodis &
Ne pergas hominem verbis temerasse malignis?
Ad Nicri Aonias propera tu Zoile Musas;
I, propera, excelsamq; domum, quam sumtibus olim
Magnificis struxit magno Dux pectore, & armis
Martis & artis ope invictus, Rheniq; Toparcha,
In monumenta sui CASIMIRUS, & apta docentum
Discentumq; sacris pariter collegia Musis.*

*His vir & hic Sponsus multos cum laude per annos
Prefuit, inquirens juvēnum scrutamine mentes,
Qui petiere gradus, titulosq; & jura Magistrūm,
Tentatis studiis, & post solennia dignis
Præmia distribuens, laudatō & symbola ritu.
Qui post Herculeos, quos pertulit ipse, labores,
Post Legum libros crebro Canonumq; relectos
Uisu, & multiplicis contrita volumina juris,
Doctoris titulum tulit, & sua præmia cepit.*

*Nec satis est tantos animo exantlasse labores,
Insuper intendit percurrere dissita nostris
Finibus hic noster mercator regna; Regina
Impiger Ausonia lustravit, & uberis inde
Hesperiae velis idem appulit arva secundis,
Nec non audaces animis armisq; potentes
Visere perrexit Belgas, Gallosq; rebelles.*

*Nec tamen his terris Veneris male providus ignes
Pectore concepit, nec sœva Cupidinis arma
Sensit: at oblatos facile moderatus amores
Distulit, haud dubitans mercator & inscius, aequè
Vendibiles precio externis meliore valentes
Germanam terram, aut similes exponere merces.*

Has

Has inter merces, formâ praestante puellas;
Cramero placuit lectam mercarier Annam,
Atq; sibi sociam sancto conjungere castam
Quam Superum finxit Regnator, fædere costam
De latere extractam, ex animis dum sterteret Adam.

Ergo Sponsa veni Sponsi de latere demta
Omine felici properans cum corpore jungi,
Quod tibi conciliat Lex sancta, & Pronuba Juno:
Tu quoq; Sponsa veni nec cessa adjungere Sponsam,
Cui rosea est facies, cui sunt & eburnea colla,
Cui teretes ulnae, digitig; pedesq; rotundi:
Quæve venusta placet, vultuq; & pectore. Tota
Sponsa venusta tibi, quæ hominumq; Deumq; vel ipso
Demulcere animos feriante Cupidinis arcu
Posset, & iratus quam Juppiter ureret Annam;
Hanc thalami sociam duplis amplectitor ulnis:
Hanc pulchram ipse tibi proprium cape primus ad usum
Felix Mercator; nec alis exponere mercem
Prodige & uxorem concede improvidus Annam.

Sed quid opus monitis? Cum me non ipse monente
Leta dabis Sponsæ firmati Sponsus amoris
Gaudia, & in patriâ salvâ cum Conjuge salvus,
Omni submoto longè rivale procisq;
Deliciis Veneris, lictuô frueris amore.
Prosequar ergo tñrum felicique omne sternam.
Prosequar inceptos votis precibusq; hymeneos.

Aliud eodem autore.

Sponsa tuâ Sponsâ, atq; tuô Sponsô utere Sponsa,
Ambo felices prosperritate Dei.
Merce recente frui permisum est, utere merce
Sospes uterq; & amans, utere merte novâ.
Merx usuturit: pereunt færugine rasa.
Merx nova fæmellis, merx nova grata viris.
Flos deflorescit: vivâ scaturigine fontes
Siccantur: corpus labile: forma fugax.

Utere

Utere merce novâ, vegeto cum corpore lude;
Vernanti suaves tempore carperosas.
Præstantis formâ florem decerpe juventæ:
Limpida de puro fonte fluentâ bibe.
Pax, & amor, pietas, paci constantia, primus
Ornatus vestris sit columenq; tori.
Hicce meis brevibus, multus precor, annue votis,
Qui mare, qui terras flectis & astra DEUS.

Honoris & gratitudinis ergò gratulabundus
deproperabat Ackenæ
M. Johannes Philippus Rosa SS. Th. Stud.
olim Dn. Sponsi discipulq.

VOTA.

Ος βραλῆσι σφῆς, θεὸς, ἀντὸς περᾶς ἔταξας,
Καὶ μέχει νῦν τηρεῖς δέσμαθ' ἀγνοο λέχει.
Κόσμησις τε γάμου Κανανάιω ἐνὶ πολιέθεω
Θαύματι, ἀλλάτην λῶσον ἐσ οἶνον ὑδωρ.
Καὶ τάχιο γάμοιο βρετῶν ἀλλαπε ἄπαντας
Πότμεις τὰς πικρὰς χάρηματα εἰς γλυκερά,
Καὶ ποίει αὐτοῖσιν ἵν' ἀμφοτέρως ἀποβαίνη
κεῖνα, τὰ δέ χοντας συθάδε πάντα φίλοι!

Joachimi Flemingi
Anhaldini.

F I N I S.

Cl 1926




Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich
Buchbindemeister
Merseburg a. S.

VDA



Farbkarte #13

